

Latin Summer School 2014 Level 3B

Geoffrey of Monmouth, C12 The Story of King Lear (Leir)

It is interesting to compare this with Shakespeare's version.

There is an English translation in Penguin Classics: "The History of the Kings of Britain" and also in the edition of Geoffrey edited by Michael Reeve, Boydell 2009.

Dato igitur fati Bladud, erigitur Leir filius eiusdem in regem, qui
.ix. annis patriam uiriliter rexit. Aedificauit autem super flumen Soram 135
ciuitatem, quae Britannice de nomine eius Kaerleir, Saxonice uero
Lerecestre nuncupatur. Cui negata masculini sexus prole natae sunt
tantummodo tres filiae, uocatae Gonorilla, Regau, Cordeilla. Pater eas miro
amore sed magis iuniorem, uidelicet Cordeillam, diligebat. Cumque in

senectutem uergere coepisset, cogitauit regnum suum ipsis diuidere easque 140
talibus maritis copulare qui easdem cum regno haberent; sed ut sciret quae
illarum parte regni potiore dignior esset, adiuuit singulas ut interrogaret quae
ipsum magis diligeret. Interrogante igitur illo, Gonorilla prius numina caeli
testata est ipsum sibi maiori dilectioni esse quam animam quae in corpore
suo degebat. Cui pater: 145

'Quoniam senectutem meam uitae tuae praeposuisti, te, carissima
filia, maritabo iuueni quemcumque elegeris cum tertia parte regni
Britanniae'.

Deinde Regau, quae secunda erat, exemplo sororis suae beniuolentiam
patris allicere uolens, iureiurando respondit se nullatenus aliter exprimere 150
nisi quod illum super omnes creaturas diligeret. Credulus ergo pater iurauit
quod eadem dignitate quam primogenitae promiserat ipsam cum alia parte
regni maritaret. At Cordeilla iunior, cum intellexisset eum praedictarum
adulationibus acquiescisse, temptare illum cupiens aliter respondere
perrexit: 155

'Est uspiam, pater mi, filia quae patrem suum plus quam patrem
praesumat diligere? Non reor equidem ullam esse quae hoc fateri audeat
nisi iocosis uerbis ueritatem celare nitatur. Nempe ego dilexi te semper
ut patrem et adhuc a proposito meo non diuerto. Et si ex me magis
extorquere insistis, audi certitudinem amoris quem aduersum te habeo 160
et interrogationibus tuis finem impone. Etenim quantum habes tantum
uales tantumque te diligo'.

Porro pater, ratus eam ex habundantia cordis dixisse, uehementer indignans
quod responsurus erat hoc modo manifestare non distulit:

'Quia in tantum senectutem patris tui spreuisti ut uel eo amore quo me 165
sorores tuae dedignata es diligere, et ego dedignabor te, nec umquam
partem in regno meo cum sororibus habebis. Non dico tamen, cum
filia mea sis, quin te alicui externo si illum fortuna optulerit utcumque
maritem. Illud autem affirmo, quod numquam eo honore quo sorores tuas
maritare laborabo, quippe cum te plus quam ceteras hucusque dilexerim, 170
tu uero me minus quam ceterae diligas'.

Nec mora, consilio procerum regni dedit praedictas puellas duas duobus
ducibus, Cornubiae uidelicet et Albaniae, cum medietate tantum insulae
dum ipse uiueret; post obitum autem eius totam monarchiam Britanniae 175
concessit habendam. Contigit deinde quod Aganippus rex Francorum,
audita fama pulcritudinis Cordeillae, continuo nuntios suos ad regem
direxit, rogans ut ipsa sibi coniugali taeda copulanda traderetur. At pater, in
praenominata ira adhuc perseuerans, respondit se illam libenter daturum,
sed sine terra et pecunia; regnum namque suum cum omni auro et argento

Gonorillae et Regau puellae sororibus distribuerat. Cumque id Aganippo 180
nunciatum fuisset, amore uirginis inflammatus remisit iterum ad Leirem
regem, dicens se satis auri et argenti aliarumque possessionum habere, quia
tertiam partem Galliae possidebat; se uero tantummodo puellam captare, ut
heredes ex illa haberet. Denique, confirmato foedere, mittitur Cordeilla ad
Galliam et Aganippo maritatur. 185

Post multum uero temporis, ut Leir torpere coepit senio, insurrexerunt
in illum praedicti duces quibus Britanniam cum filiabus diuiserat;
abstulerunt autem ei regnum regiamque potestatem, quam usque ad illud
tempus uiriliter et gloriose tenuerat. Concordia tamen habita, retinuit eum
alter generorum Maglaunus, dux Albaniae, cum quadraginta militibus, ne 190
secum inglorius maneret. Elapso deinde biennio, moram eo apud generum
faciente, indignata est Gonorilla filia sua ob multitudinem militum eius, qui
conuicia ministris inferebant quia sibi profusior epimonia non praebebatur.
Proinde maritum suum affata iussit patrem obsequio triginta militum
contentum esse, relictis ceteris quos habuerat. Vnde ille iratus relicto 195
Maglauno petiuit Henuinum ducem Cornubiae, cui alteram natam Regau
maritauerat; et cum a duce honorifice receptus fuisset, non praeteriit annus
quin inter utrorumque familias discordia orta fuerat. Quam ob rem Regau in
indignationem uersa praecepit patri cunctos socios deserere praeter quinque
qui ei obsequium praestarent. Porro pater, ultra modum anxius, reuersus est 200
iterum ad primogenitam, existimans se posse commouere illam in pietatem
ut cum familia sua retineretur. At illa nequaquam a coepta indignatione
reuersa est sed per numina caeli iurauit quod nullatenus secum commaneret
nisi postpositis ceteris solo milite contentus fuisset; increpabat etiam eum
senem et in nulla re abundantem uelle cum tanta familia incedere. Cumque 205
illa assensum uoluntati eius nullo modo praeuisset, paruic ipse et relictis
ceteris cum solo milite remansit. At cum in memoria pristinae dignitatis
reductus fuisset, detestando miseriam in quam redactus erat, cogitare coepit
quod iuniorem filiam trans oceanum exigeret, sed dubitabat ipsam nil
uelle sibi facere, quoniam eam tam ingloriose ut praedictum est dedisset. 210
Indignans tamen miseriam suam diutius ferre, transfretauit ad Gallias;
sed transfretando cum se tertium infra nauim inter principes qui aderant
apexisset, in haec uerba cum fletu et singultu prorupit:

‘O inreuocabilia seria factorum, quae solito cursu fixum iter tenditis, cur
unquam me ad instabilem felicitatem promouere uoluistis, cum maior 215
poena sit ipsam amissam recolare quam sequentis infelicitatis praesentia
urgeri? Magis etenim aggrauat me illius temporis memoria quo tot

centenis milibus militum stipatus et moenia urbium diruere et prouincias
hostium uastare solebam quam calamitas miseriae meae, quae ipsos qui
iam sub pedibus meis iacebant debilitatem meam deserere coegit. O irata 220
fortuna! Venietne dies umquam qua ipsis uicem reddere potero qui sic
tempora mea secuti paupertatem meam diffugerunt? O Cordeilla filia,
quam uera sunt dicta illa quae michi respondisti quando quaesiui a te quem
amorem aduersum me haberes! Dixisti enim “quantum habes tantum
uales tantumque te diligo”. Dum igitur habui quod potui dare, uisus fui 225
me sed magis munera mea; nam abeuntibus muneribus et ipsi abierunt.
Sed qua fronte, karissima filia, te audebo exigere, qui ob praedicta uerba
iratus putauit te maritare deterius quam sorores tuas, quae post beneficia
quae eis impendi me exulem et pauperem esse patiuntur?’.

Vt tandem haec et similia dicendo applicuit, uenit Karitiam, ubi filia sua erat. Expectans autem extra urbem, misit ei nuncium suum qui indicaret ipsum in tantam miseriam collapsum; et quia non habebat quid comederet uel indueret, misericordiam illius petebat. Quo indicato, commota est Cordeilla et fleuit amare quaesiuitque quot milites secum habuisset. Qui 235 respondit ipsum neminem habere, excepto quodam armigero qui foris cum eo expectabat. Tunc illa cepit quantum opus erat auri et argenti deditque nuncio, praecipiens ut patrem ad aliam ciuitatem duceret ibique ipsum infirmum fingeret et balnearet, indueret, foueret. Iussit etiam ut sexaginta milites bene indutos et paratos retineret et tunc demum mandaret regi 240 Aganippo et filiae suae sese aduenisse. Nuncius ilico reuersus duxit Leirem regem ad aliam ciuitatem absconditque eum ibi donec omnia quae Cordeilla iusserat perfecisset.

Mox, ut regio apparatu exornatus et familia insignitus fuit, mandauit Aganippo et filiae sese a generis suis expulsam fuisse ex regno Britanniae 245 et ad ipsos uenisse ut auxilio eorum patriam suam recuperare ualuisset. At illi, cum consulibus et proceribus obuiam uenientes, honorifice susceperunt illum dederuntque ei potestatem totius Galliae donec eum in pristinam dignitatem restaurassent.

Interea misit Aganippus legatos per uniuersam Galliam ad colligendum 250 in ea omnem armatum militem ut auxilio suo regnum Britanniae Leiri socero reddere laboraret. Quo facto, duxit secum Leir filiam et collectam multitudinem in Britanniam pugnavitque cum generis et triumpho potitus est. Deinde, cum quosque potestati suae reddidisset, in tercio anno mortuus

est. Mortuus est etiam Aganippus rex Francorum. Cordeilla ergo filia, regni 255 gubernaculum adeptam, sepeliuit patrem in quodam subterraneo quod sub Sora fluuio infra Legecestriam fieri praeceperat. Erat autem subterraneum illud conditum in honore bifrontis Iani. Ibi omnes operarii urbis, adueniente sollempnitate dei, opera quae per annum acturi erant incipiebant.

Cum igitur Cordeilla regnum per quinquennium pacifice tractasset, 260 coeperunt eam inquietare duo filii sororum suarum, Marganus et Cunedagius, quae Maglauro et Henuino ducibus coniugatae fuerant. Ambo iuuenes praeclarae probitatis famam habebant; quorum alterum, uidelicet Marganum, Maglaurus generauerat, Cunedagium uero Henuinus. Hi itaque, cum post obitum patrum in ducatus eisdem successissent, indignati sunt 265 Britanniam femineae potestati subditam esse. Collectis ergo exercitibus, in reginam insurrexerunt nec saeuiciae suae desistere uoluerunt donec quibusque prouinciis uastatis proelia cum ipsa commiserunt; eam quoque ad ultimum captam in carcerem posuerunt, ubi ob amissionem regni dolore obducta sese interfecit. Exin partiti sunt iuuenes insulam, cuius pars illa quae 270 trans Humbrum extenditur uersus Katanesiam Margano cessit, alia uero, quae in altera parte fluuii ad occasum solis uergit, Cunedagio summittitur. Emenso deinde biennio, accesserunt quibus turbatio regni placebat ad Marganum animumque illius subducentes aiebant turpe et dedecus esse ipsum, cum primogenitus esset, totius insulae non dominari. Cumque his 275 et pluribus aliis modis incitatus fuisset, duxit exercitum per prouincias Cunedagii ignemque accumulare incepit. Orta igitur discordia, obuiauit ei Cunedagius cum omni multitudine sua factoque congressu caedem intulit non minimam et Marganum in fugam propulit. Deinde secutus est eum fugientem a prouincia in prouinciam. Tandem interceptit eum in pago 280 Kambriae qui post interfectionem nomine suo, uidelicet Margan, hucusque a pagensibus appellatus est. Potitus itaque uictoria Cunedagius monarchiam totius insulae adeptus est eamque .xxxiii. annis gloriose tractauit. Tunc Ysaias et Osea prophetabant et Roma condita est .xi. kl Mai a geminis 285 fratribus Remo et Romulo. X